

## SECTIO III.

Utrum in lege naturæ fuerit institutum aliquod verum sacramentum, quo peccatum originale deleteretur.

1. *Prima sententia constituit determinatum signum, verumque sacramentum.* — *Secunda sententia ponit signum sensibile, tamen negat sacramentum.* — Prima sententia est, fuisse in eo statu institutum a Deo, determinatum signum sensibile sub certa quadam cæremonia sensibili a Deo definita, ut ea facta, seu applicata parvulis, illis originale peccatum remitteretur; unde fit, hoc signum fuisse vere ac proprie sacramentum. Ita sentit Scot., in 4, d. 4, q. 6 et 7. Ratio hujus est, quia peccatum originale semper fuit remissum per regenerationem in Christo; ergo per aliquod signum visibile; ergo oportuit hoc signum esse determinatum ex divina institutione, ut justificatio sub tali signo esset omnino certa, et professio fidei esset magis clara, et expressa. Hæc sententia affirmat rem incertam sine fundamento, et ideo a cæteris Theologis relicta est. Assumptum declaratur; quia in primis, neque in Scriptura neque in Patribus, neque in ulla historia est aliquod vestigium hujus traditionis, vel institutionis determinati signi. Deinde ad certitudinem justificationis non erat necessaria talis determinatio; quia, si Deus generatim promittat remittere originale peccatum per fidem parentum, quocumque actu externo filiis applicaretur, non esset minus certa et infallibilis justificatio, imo ex parte signi requisiti, quodammodo esset certior vel saltem facilius, quia ex parte promissionis divinæ æqualis est infallibilitas; ex parte vero conditionis requisitæ facilius est applicare quemcumque actum in genere, quam certam, ac definitam cæremoniam. Rursus, nec propter fidei clariorem professionem expediebat tunc fieri talem signi determinationem divinam; quin potius, propter eam causam expediebat non fieri. Primum quidem, quia in eo statu fides erat imperfecta, et obscura, propter quod implicita fides Christi ad salutem sufficiebat; ergo non erat necessarium ut professio fidei esset adeo clara et explicita; tum etiam, quia eo tempore non conveniebant omnes fideles in eodem ritu externo colendi Deum; ergo non expediebat, ritum sanctificandi parvulos esse eundem apud omnes homines, sicut nunc est in universa Ecclesia; quam rationem attigit

D. Thomas infra quæst. 70, art. 4 et seq. Et confirmatur præterea, quia difficillimum erat eo tempore conservari apud omnes fideles traditionem hujus remedii certi, et determinati, quia non habebant Scripturas, nec erant ita perfecte congregati in unum corpus, ut possent hujusmodi traditiones perfecte conservare; unde fiebat, ut valde imperfectam haberent hujusmodi rerum cognitionem. Confirmatur secundo, quia oportebat hanc determinationem fieri per propriam legem Dei positivam; nulla autem universalis lex de aliqua cæremonia determinata creditur eo tempore data, quia non erat illi statui consentanea, nam propterea vocatur status legis naturæ. Tandem, si hoc remedium determinatum fuisset, perdurasset pro fœminis in lege veteri; nullibi autem legimus factam esse mentionem hujus remedii vel cæremoniae, neque in Scriptura sacra, neque in aliis auctoribus Hebræis. Secunda sententia est, hoc remedium parvulorum, quamvis in aliqua sensibili actione positum esset, non tamen fuisse verum sacramentum; ita tenet Durand., in 4, d. 4, q. 8. Fundamentum ejus est, quia sacramentum esse debet cæremonia aliqua a Deo determinata ad significandam gratiam, quæ sub tali opere vel cæremonia datur ex divina promissione; sed hoc remedium parvulorum, neque erat cæremonia determinata a Deo, nec erat proprie instituta ad significandam gratiam, sed solum erat quædam actio meritoria de congruo, ratione cujus Deus dabat gratiam; et ita non aliter significabat illam, quam alia opera meritoria illam significant; ergo illa actio non magis erat sacramentum, quam sint cætera opera meritoria. Sed hoc fundamentum Durandi supponere videtur sensum illum, quem falsum esse diximus sect. præced., scilicet, per hujusmodi actum fuisse justificatos parvulos vere ac proprie ex merito operantis Ecclesiæ, et non solum ex meritis Christi, sicut nunc justificantur in baptismo, vel olim in circumcissione, quod omnino falsum existimo, ut latius infra dicam q. 62.

2. *Fuit sacramentum sub indeterminata cæremonia.* — *Simile.* — Dicendum ergo est, in lege naturæ fuisse quoddam sacramentum ad justificationem parvulorum, et remedium originalis peccati institutum, quamvis ex divina institutione non fuerit determinata cæremonia seu actio sensibilis ad significandum imposita, sed ex hominum arbitrio ad certum actionis modum definiretur; quia hoc non est contra veram rationem sacramenti. Hæc est

sententia D. Thomæ hic, ad 2, ubi docet vera fuisse sacramenta ante legem scriptam, quæ comparantur ad sacramenta legis scriptæ, sicut indeterminatum ad determinatum; idem q. præced., art. 5, ad 3, et infra, q. 70, art. 4, ad 2, ubi cum inquit, ante legem non fuisse requisitum aliquod signum protestativum fidei ad justificandos parvulos, intelligi debet de signo determinato et fixo. Eandem sententiam tenet Alex. Alens., 4 p., q. 4, memb. 3, art. 3, clarius q. 5, memb. 4; Palud., in 4, d. 4, q. 5, art. 5; et Major, q. 4, circa fin.; Gabr., q. 2, art. 3, dub. 4, ubi hoc modo Scotum interpretatur; late Cano, dicta relect. de Sacram. in gen., part. 3. Et probatur primo ex Augustino, dicto loco contra Julianum, lib. 5, cap. 9, ubi dicit non esse negandum, quin in lege naturæ, parentes subvenirent filiis aliquo sacramento fidei. Cyprianus etiam, dicto sermone de Circumcissione Christi, sacramentum vocat hoc remedium. Ratione vero probatur assertio, quia in primis hoc remedium erat aliqua cæremonia sensibilis ad sanctificationem parvulorum ordinata, quia instituta erat ad remedium originalis peccati, ut supponimus, quod peccatum non deletur sine hominis sanctificatione. Rursus hæc sanctificatio necessario significabatur per hoc remedium, quia ad hoc institutum erat, ut intelligerent homines, adhibita tali cæremonia exteriori, hominem interius sanctificari a Deo; significabatur ergo gratia per hujusmodi cæremoniam sensibilem, et consequenter etiam significabatur vel explicitè vel saltem implicitè venturus mediator, in cujus fide, et spe meritorum ejus illa gratia obtineretur; ergo nihil in eo opere, seu remedio deerat ad veram rationem sacramenti. Quod enim talis cæremonia sit determinata in specie et in particulari, ex institutione divina, aut in genere tantum, et modus ac determinatio ejus commissus fuerit hominum arbitrio, nihil refert ad veram rationem sacramenti, ut patet ex supra tractatis de essentia et definitione sacramenti. Et ratio etiam est facilis, quia, licet in sola divina institutione sacramentum non sit determinatum ad hanc vel illam actionem, seu cæremoniam, tamen, cum in re ipsa exercetur, semper adhibetur determinata cæremonia sacra, quæ hic et nunc est verum signum internæ sanctificationis, et in hoc consistit essentialis ratio sacramenti. Quod autem illa determinatio hic et nunc orta sit ex sola

institutione divina, vel etiam ex arbitrio humano, hoc solum pertinet ad causam extrinsecam efficientem sacramentum, non vero mutat intrinsecam rationem et naturam sacramenti; sicut si Christus instituisset baptismum, non solum in aqua naturali, sed in genere, in quacumque aqua naturali, seu artificiali, vel in quocumque liquore, non propterea non esset verum sacramentum, quamvis in particulari determinatio aquæ, vel liquoris, humano arbitrio fieret.

3. *Objectio.* — *Responsio.* — Una sola objectio superest contra hanc sententiam, quam attigit D. Thomas, præced. q., art. 5, arg. 3, quia sequitur, remedium parvulorum coarctatum esse in lege scripta vel gratiæ magis quam esset in lege naturæ, quia nunc determinata cæremonia requiritur; remedium autem eo facilius et generalius est, quo minorem habet determinationem, et in re quacumque adhiberi potest. Respondetur negando sequelam, primum quidem, quia licet nunc sit determinata cæremonia parvulorum ad regenerationem, tamen est valde facilis, et in rebus consistens, quæ obviæ sunt, et præ manibus fere semper habentur. Deinde, quia sicut nunc oportuit determinari hoc signum ob expressiorem fidei significationem, et repræsentationem, et majorem Ecclesiæ unitatem, ita notius est omnibus hoc remedium, et ex hac parte facilius applicari potest, licet determinatum sit, quam olim posset remedium legis naturæ, quantumvis indeterminatum ac indifferens.

4. *Hoc remedium institutum propter parvulos.* — Ultimo ex dictis colligitur, hoc remedium præcipue esse institutum propter parvulos, quia ipsi eo maxime indigebant; adulti enim, cum per propriam dispositionem sanctificari possent, illo simpliciter non egebant, propter delendum peccatum, quamvis ad profitendam fidem, et conjunctionem quamdam exteriorem cum Ecclesia visibili, quæ tunc erat, oportebat eos uti aliqua sensibili cæremonia juxta uniuscujusque populi, seu regionis consuetudinem et ritum. An vero hoc remedium haberet rationem sacramenti respectu adultorum, et an obligati fuerint ad utendum illo, non solum ob fidei professionem, seu confessionem, sed etiam ob remissionem peccati, dicemus infra, q. 62, ubi explicabimus, quomodo remissio peccati per gratiam fuerit effectus hujus sacramenti.

## SECTIO IV.

Utrum in lege naturæ fuerint alia sacramenta.

1. In hac questione explicanda divisi sunt O. Thomæ discipuli. Cano enim, dicta relect. de Sacram. in gen., p. 3, docet fuisse varia sacramenta in lege naturæ. Cujus fundamentum solum est, quia in illa lege fuit necessarius cultus Dei externus, qui non consistit in uno solo actu, quo remittitur peccatum originale, sed in multis aliis, quibus homines uti possunt et ad suam sanctificationem et ad fidei professionem. Quæ ratio potest in hunc modum explicari, quia ad cultum Dei perfectum quatuor requiruntur, ex D. Thoma 4. 2, quæst. 104, art. 4, scilicet, sacrificia, sacra, observantiæ, et sacramenta; sed in lege naturæ fuit perfectus Dei cultus, et fuerunt tria priora, quæ fere conjuncta sunt cum vero usu religionis; ergo etiam credendum est fuisse sacramenta in illo statu. Confirmari potest hæc opinio, quia omnes utilitates sacramentorum supra positæ in disputatione præcedenti locum habent in tempore legis naturæ; et præterea aliæ, quæ occasione peccati ortæ sunt, scilicet ut homo, qui male utendo creaturis corporalibus ceciderat, illis se subjiciendo ad suam sanctificationem humiliaretur et confunderetur. Item, ut homo, qui per creaturas sæpe Deum offendit, assuesceret per easdem Deum colere, et ad usus sacros illas convertere. Denique ut homo lapsus, ad idololatriam pronus, in vera Dei fide, et vero cultu per hæc sacramenta sensibilia conservaretur, et in unum politicum corpus congregaretur. Favet tandem huic opinioni, quod antiqui Doctores, qui de lege naturæ tractant, non in singulari, sed in plurali definiunt sacramenta in illo statu fuisse; ita enim loquuntur Hug. de Sanct. Victor., D. Thom., Scot., Richard., Palud., et alii sect. præced. citati, præsertim in 4, dist. 4.

2. *Secunda sententia.* — Aliorum vero opinio est, in ea lege nullum fuisse sacramentum proprie dictum præter illud, quod hactenus explicuimus. Et hæc tribui potest illis auctoribus, qui nec prædictum sacramentum, neque aliquod aliud proprium in ea lege admittunt, ex quibus videtur esse D. Thomas in 4, d. 1, q. 1, art. 2, q. 3, ubi, licet doceat in eo statu fuisse sacramenta, tamen id postea explicat de solo cultu externo per sacrificia, et oblationes, et idem sentit Durand. ibi, q. 2; et Soto, d. 1, q. 2, art. 3, et d. 2, q. 1, art. 4;

et Ledesm., 1, p. 4, q. 2, art. 3. Et hæc sententia absolute videtur probabilior, indiget tamen aliqua expositione. Aliud est enim loqui de cultu externo in genere, seu de actibus sensibilibus, quibus homines fidem exterius profitentur, et interiorem cultum ostendunt. Aliud vero est loqui de propriis sacramentis, quæ solum partem continent illius cultus, et specialem institutionem ac significationem requirunt. Rursus aliud est loqui de illo statu legis naturæ secundum communem et ordinariam legem, aliud vero de speciali aliquo casu seu prærogativa alicujus personæ.

3. *In lege naturæ fuit cultus Dei externus per sacrificia et oblationes.* — Nunquam defuit veri Dei cultus. — Dico ergo primo, in lege naturæ fuisse cultum Dei externum per sacrificia, oblationes et alias similes cæremonias. In hac assertionem conveniunt fere omnes auctores supra citati, quamvis videantur differre, quia aliqui sentiunt, hunc cultum fuisse necessarium ad salutem, alii vero tantummodo voluntarium, quod significat D. Thomas loco proxime citato, et Hug. Victor., lib. de Sacram., p. 11, c. 3, et p. 12, c. 3, ubi differentiam constituit inter sacramenta legis naturæ et veteris, quod illa fuerunt voluntatis, hæc necessitatis, illa ex voto, hæc ex præcepto; et Anacl. Papa, ep. 2, c. 2, sic dicit, Abraham et antiquos Patres ante Aaron obtulisse sacrificium spontanea voluntate. Sed intelligendum est fuisse voluntarium quoad determinationem et modum cultus, ut ait D. Thomas, 4. 2, q. 103, art. 1; cum enim neque ex natura rei determinatus sit, neque ex speciali Dei institutione, quæ in illo statu non fuit, recte dicitur cultus ille quoad modum et determinationem fuisse voluntarius; at vero absolute loquendo de cultu externo, sive per hanc, sive per illam actionem exhibeatur, dicendum est illum fuisse necessarium, necessitate præcepti naturalis, ut constat ex 2. 2, q. 84 et 85, et infra in materia de sacrificio iterum dicemus. Et probari facile potest ex dictis in præced. disp., ubi ostendimus hanc obligationem oriri ex naturali compositione hominis ex corpore et anima, et ex origine quam a Deo habet secundum utramque rationem, et ex modo vivendi, quem natura sua postulat in congregatione et societate aliorum hominum. Ex hoc ergo principio sequitur necessario conclusio posita; nam in tempore legis naturæ semper fuerunt aliqui homines justis, qui vero Deo cultum ex naturali lege debitum exhiberent, nam ab initio mundi semper Ecclesia duravit, et vera

fides ac religio. Confirmari hoc potest traditione ex Scriptura desumpta, nam a principio Abel et Cain cœperunt colere Deum rebus externis, et idem legimus de aliquibus hominibus sanctis ab Adam usque ad Noe, et a Noe usque ad Abraham, ut latius tractabimus infra agentes de sacrificio. Confirmari etiam potest, quia non solum fideles, sed etiam Gentiles hoc semper observarunt, ut quos Deos colerent, eos cultu aliquo externo venerarentur, unde Genes. 41 et 47, fit mentio sacerdotum Ægypti, et terræ sacerdotalis; et Exodi 2 et 3, nominantur sacerdotes Madian, et idem est frequens in Scriptura, et aliis historiis. Quin potius notant sancti Patres, propterea Deum tanta sacrificiorum et cæremoniarum multitudine Israeliticum populum onerasse, ut eum a cultu externo idolorum, quo gentes utebantur, abstraheret; signum ergo est, ipsam naturam esse propensam ad hunc cultum tribuendum Deo; et consequenter, si recte instructa sit, verumque Deum agnoscat, eum interius et exterius culturam; fuit ergo hic cultus in lege naturæ in sanctis hominibus, qui veram Dei fidem et religionem retinebant.

4. *In lege naturæ præter remedium parvulorum non fuit aliud sacramentum.* — Professio fidei fieri poterat sine sacramentis. — Dico secundo, quod in statu legis naturæ communi et ordinaria lege non fuerunt aliquæ cæremonie quæ haberent propriam rationem sacramentorum præter illud, quod fuit in remedium parvulorum. Probatur primo, quia non fuerunt aliæ cæremonie, in quibus significaretur gratia aut præsens, quæ in illis daretur, aut futura, quæ in illis promissa significaretur; sed de ratione proprii sacramenti est, ut gratiam significet; ergo non erant aliæ cæremonie, in quibus propria ratio sacramenti inventa fuerit. Major quoad priorem partem communis est, et certa, ut latius quæst. 62, dicturi sumus, quia specialis promissio gratiæ in aliquo opere præter meritum operantis, per se loquendo, erat præter statum et imperfectionem illius temporis, et ideo solum propter extremam parvulorum necessitatem facta est illi operi, seu remedio, quod ad tollendum originale peccatum est institutum; de aliis vero, neque est necessitas, nec fundamentum ad id asserendum. Posterior vero pars in prima propositione assumpta probatur, quia talis significatio futuræ gratiæ non poterat esse nisi ex institutione divina, ut supra dictum est; nam debet practice con-

tinere et exhibere divinam promissionem; nulla autem legitur hujusmodi divina institutio; neque est ulla ratio sufficiens, ut asseratur; neque est consentanea illi statui, qui legis naturæ dicitur, quia non habebat positivas leges, et cæremonias. Confirmatur, quia si tunc Deus instituisset hujusmodi sacramenta, quæ essent prognostica, et repræsentarent res futuras, instituisset illa, in particulari definiendo proprios ritus illorum, alioqui non posset fieri commode repræsentatio cum debita proportione et analogia; in quo non est eadem ratio de sacramento parvulorum; quia in illo præcipue attendebatur necessitas et remedium parvuli, quamvis significatio non esset tam accommodata, et expressa; secus vero dicendum esset de illis sacramentis, quæ propter significationem præcipue instituerentur. Secundo argumentor, quia hæc sacramenta non erant necessaria in eo statu ad cultum Dei, neque ad aliquem alium finem, qui ex necessitate aliqua morali sit conjunctus cum lege naturæ; ergo non fuerunt tunc talia sacramenta. Patet consequentia, quia in eo statu illa tantum fuere, quæ sunt aliquo modo de lege naturæ; seu, quæ vel ex parte Dei, vel ex parte hominis habent necessitatem aliquam, propter quam ex naturali ratione fide illustrata dicentur vel eligantur. Antecedens vero patet, quia triplex fingi potest necessitas talium sacramentorum. Prima est in remedium peccati, et hæc, secluso originali peccato, nulla est, quia cætera sunt actualia, quæ, sicut a solis adultis per proprios actus committuntur, ita per propriam eorum dispositionem remitti possunt; et quanquam in hoc possint adulti multum juvari per sacramenta, in quibus gratia conferatur, et maxime, si talia sint quæ faciant hominem ex attrito contritum, tamen hæc perfectio superat imperfectionem illius temporis et status, ut dictum est. Secunda necessitas potest sumi ex aliqua sanctificatione hominum colentium Deum; at vero, si sermo sit de sanctificatione per gratiam, jam dictum est, esse supra conditionem vel imperfectionem illius legis et status; si vero sermo sit de sola sanctificatione externa et legali, in primis non est cur hæc censeatur necessaria, quia fideles sufficienter sanctificabantur et aggregabantur Ecclesiæ Dei per illud sacramentum, quod diximus esse institutum in remedium originalis peccati; præterquam quod nulla alia sanctificatio exterior est communiter cultoribus Dei necessaria, sed illa tantum quæ fit per externos actus pœnitentiæ,

religionis et aliarum virtutum. Solum in sacerdotibus videtur esse quaedam specialis necessitas, quia proprio quodam modo destinantur ad cultum Dei; sed neque illis tunc erat necessaria exterior sanctificatio, vel consecratio, quia primogeniti, quasi jure hæreditario erant sacerdotes, vel poterant certe sola extrinseca deputatione ad illud munus destinari; quo sensu videtur dixisse Anacl. Pap., in dict. epist., antiquos illos Patres non obtulisse sacrificium sacerdotali auctoritate; illa scilicet, quæ data est Aaron, per unctionem sacram, et alias cæremonias a Deo institutas. Deinde, licet admittamus, fuisse tunc cæremonias ordinatas ad aliquam externam sanctificationem fidelium, non sequitur illa fuisse sacramenta; quia non significabant gratiam præsentem, nec præfigurabant futuram, nec talis significatio est per se necessaria ad cultum Dei. Tertia necessitas sacramentorum esse potest propter fidei professionem, qua ratione utitur D. Thomas in hoc art. 3, et ex illa generaliter colligit, debuisse esse sacramenta ante Christi adventum; unde videtur loqui et ratiocinari de toto illo tempore, etiam legis naturæ; ut patet, tum quia principia, quæ assumit, communia sunt illi statui, scilicet, quia homines semper fuerunt justificati in fide Christi, quam oportuit signis visibilibus protestari; tum etiam quia in solut ad 2, de utroque tempore legis naturæ et scriptæ conclusionem explicat, et in utroque dicit fuisse sacramenta, quamvis in modo institutionis et determinationis fuerint diversa. Nihilominus tamen ex hoc solo capite non possunt colligi propria ac perfecta sacramenta, quia professio fidei sine sacramentis proprie dictis fieri poterat multis aliis modis, ut per verba, per sacrificia, et per alias similes exteriores actiones; sicut nunc in lege gratiæ præter sacramenta habemus plures alios exteriores actus, quibus fidem profitemur. Quocirca, licet in sacramentis sit quidam peculiaris modus profitendi fidem et significandi spiritualem sanctificationem, qui ad perfectiorem cultum religionis pertinet, et ideo utile vel congruum fuerit, hunc modum profitendi fidem Christi venturi fuisse usitatum ante adventum ejus, ut fides ejus melius conservaretur, et homines ad illum suscipiendum paulatim disponerentur, non tamen necesse fuit, hunc modum cultus generaliter incipere a tempore legis naturæ, sed satis fuit inchoari tempore legis scriptæ; in quo propter hominum peccata fides erat obscurior et rarior, ac ratio magis obtenebrata. Præ-

terea, quamvis admittamus, aliquem sacramentorum usum debuisse esse in lege naturæ, satis esse videtur ille, qui in prima fidei professione, seu in illo sacramento, quod in remedium originalis peccati institutum fuit, exercebatur; nullum ergo est sufficiens fundamentum, ut asseramus fuisse in eo statu alia sacramenta.

5. *Objectio.* — *Respondetur.* — Dices: in lege naturæ fuerunt vera et propria sacrificia; cur ergo non admittimus fuisse etiam plura sacramenta vera et propria, et non unum tantum? Respondetur, non esse eandem rationem, quia, ut supra tetigi, et infra tractando de sacrificio iterum dicam, de ratione sacrificii per se solum est significatio moralis interioris cultus divini; quam significationem potest habere sacrificium ex hominum impositione absque speciali Dei institutione; at vero sacramentum proprie constituitur per significationem mysticam gratiæ sanctificantis, quam non potest habere certam et infallibilem, nisi ex divina institutione. Dices: quamvis primaria ratio sacrificii visibilis consistat in significatione invisibilis sacrificii interioris, tamen supposita fide Christi venturi, quam in lege naturæ homines habebant, poterant suis sacrificiis adjungere significationem mysticam, absque speciali institutione divina, solum per generalem instinctum fidei, quomodo probabile est Abel sua oblatione significasse ac figurasse sacrificium Christi; ergo eodem modo poterant tunc homines ducti fide instituere aliquas cæremonias ad sanctificationem aliquam hominum exteriorem, eisque adjungere significationem futuræ gratiæ Christi et redemptionis ejus; ergo potuerunt esse illo tempore hoc modo sacramenta. Respondetur hujusmodi institutionem et sanctificationem in primis non habere fundamentum. Deinde non sufficere ad perfectam rationem sacramenti, de qua nos agimus, ut patet ex definitione supra data; et quia illo modo essent nunc in Ecclesia multa alia sacramenta præter septem a Christo tradita. Unde bene advertit Soto, loco supra citato, antiquos Doctores, qui de sacramentis legis naturæ loquuntur, præsertim scholasticos, post Hug. de S. Victor. loco nuper citato, usos esse nomine sacramenti communiore significatione, qua oblationes, sacrificia et similia solent vocari sacramenta, non quia propriam rationem sacramenti habuerint, sed quia, cum eo tempore non fuerint perfectiora signa sacra, illis accommodatum est commune nomen.

6. *Impropria sacramenta non fuerunt necessaria ad salutem necessitate medii, sed necessitate præcepti.* — Ex qua doctrina colligitur, hæc sacramenta impropria, quæ in lege naturæ fuerunt, non fuisse simpliciter necessaria ad salutem necessitate medii, præter illud unicum sacramentum ad remedium originalis peccati institutum, quod saltem respectu parvulorum erat medium necessarium ad eorum salutem; nam de adultis fortasse alia est ratio, ut inferius dicemus. At vero reliqua sacramenta, seu potius sacrificia, et cæremoniæ externæ, non erant proprie necessaria media ad salutem, quia nec tollebant peccatum, nec conferebant interiorem sanctitatem ex vi sua, sed erant necessaria necessitate præcepti, quatenus erant determinata ad reddendum Deo cultum debitum, sicut erat necessarium honorare parentes, vel alios similes actus exercere. In quo est magna differentia inter fidem interiorem vivam, et exteriorem professionem ejus: nam illa est necessaria necessitate præcepti et medii, quia continet substantialem animi justitiam, et Dei cultum; hæc vero solum est necessaria ex præcepto, seclusa speciali institutione Dei; et ita fuit in lege naturæ, ut notavit D. Thomas in 4, dist. 4, q. 2, art. 6.

7. *Speciale aliquando fuit sacramentum in speciali familia.* — *Ad argumenta primæ opinionis responsio.* — Dico tertio, ex singulari Dei beneficio, et revelatione, interdum fuisse in lege naturæ in aliqua familia, vel gente, usum alicujus sacramenti proprie dicti, præter illud, quod commune erat omnibus in remedium originalis peccati. Hanc assertionem constituo primo propter oblationem Melchisedech in pane et vino, quæ non solum habuit rationem sacrificii, et sacra oblatio erat, sed etiam res oblata habuit rationem sacramenti, ut in 4 tom. hujus 3 part., circa quæst. 22 D. Thomæ dixi, et indicat hic D. Thomas, ad 3; D. Augustinus, ep. 95, ad Innocent., ubi panem illum vocat sacramentum mensæ Dominicæ; et idem sentit Ambrosius, lib. 4 de Sacram., c. ult.; et Clemens Alexandrinus, lib. 4 Strom., in fine, dicens, Melchisedech dedisse in nutrimentum panem et vinum sanctificatum in typam Eucharistiæ; credibile ergo est, illud fuisse proprium sacramentum datum Melchisedech speciali instinctu, et revelatione divina, ut ritu solemniori et publico celebraretur. Quod fortasse interdum aliis nationibus accidit, nos vero de nullo alio id possumus affirmare, quia nec in Scriptura, vel Patribus habemus

fundamentum. nec erat id commune ac regulare in illo statu. Possumus vero a simili hoc confirmare, quia etiam determinatio sacrificiorum facta a Deo non erat communis et frequens in illa lege, et tamen interdum Deus ab aliquibus determinata postulavit sacrificia, ut de sacrificio Abraham constat Gen. 22; et de amicis Job, c. ult, lib. Job. Et interdum fieri poterat hæc determinatio, non quidem per expressam revelationem, sed per singularem instinctum Dei, sicut credi potest de Abraham, quando decimas obtulit Melchisedech, Genes. 14; et de Jacob, quando votum fecit dandi decimas Deo, Gen. 28, ut auctor est Hugo Victor., lib. 4 de Sacram., p. 12, c. 3 et 4, et D. Thomas, 2. 2, q. 87, art. 1, ad 3. Igitur eodem modo potuerunt eo tempore aliquibus dari propria sacramenta ex singulari Dei beneficio. Ratio vero solum est, quia licet hujusmodi sacramenta non essent necessaria in illa lege, tamen poterant esse utilia, et quod aliqua interdum fuerint, potuit esse conveniens ad Christi honorem, et ad prædicanda seu præfiguranda aliqua mysteria, quæ in lege gratiæ consummanda atque perficienda erant. Et ex his facilis est responsio ad fundamenta primæ opinionis. Ad rationes enim omnes respondetur, solum probare, in illo statu fuisse aliqua sacrificia, vel cæremonias externas, quæ late possunt sacramenta vocari. Probant etiam, potuisse sacramenta habere utilitatem in illo statu, et ideo, si aliquibus data sunt, convenienter atque utiliter dari potuisse, non tamen probant fuisse pro eo tempore necessaria, neque debita hominibus regulariter, juxta illius temporis statum ac vivendi rationem. Ad Doctores vero antiquos, qui de sacramentis illius temporis loquuntur, partim responsum est, sacramentorum nomine, sacrificia comprehendere et alios externos ritus divini cultus, quod evidenter constat ex Hugone et aliis; partim etiam dici potest, loqui generaliter de sacramentis, quia aliquod sacramentum commune fuit omnibus fidelibus in eo statu, et præter illud fuerunt alia non ita communia, sed ex singulari Dei beneficio aliquibus collata, ut dictum est.

## DISPUTATIO V.

DE INSTITUTIONE ET NECESSITATE CIRCUMCISIONIS ET ALIORUM SACRAMENTORUM VETERIS LEGIS.

*Circumcisio et legis naturæ et veteris legis fuit.* — In hac disputatione agendum est de